

per Epistolam certificari desideramus quid agas, quid agant tui circa te, quid & nos sperare debeamus, vel de reditu ad nos, vel de reddito apud tuos. Salutant te omnes fratres nostri communi desiderio, de te sperantes prospera, timentes aduersa. Vale vt volumus, velis vt valeamus.

87.

1178—1196.

Biskop STEPHANS i Tournai Bref till Ärke-Bisk. ABSALON i Lund, innefattande tacksägelse för Kaniken PETERS vundna befordran, jemte anhållan om biträde vid upphandlingen af Engelskt Bly till täckande af S:t Genovevas vid Norrmännens härjningar afbrända kyrka.

K. h. 2: 525. n:o 164.

*A. Londensi Archiepiscopo pro P. S. Genouefæ Parisiensis Canonico, per ipsum in Episcopum promotu & consecrato.*

Dominos & amicos nostros, quos videre non possumus, frequenti cogitatione recolimus, frequenti dilectione complectimur, desiderio prosequimur, obsequio veneramur. Inter alios & supra singulare nobis erigit tentorium autoritas nominis vestri, cuius & vmbraculo consequimur refrigerium, & spectaculo plausum. Fama personam vestram prædicat, persona famæ vires accommodat: illa recto iudicio non mentiente de operibus, ista iusto modio de moribus metiente. Nec hoc dicimus vt oleo peccatoris caput vestrum impinguare velimus sacro chrismate perunctum, qui ex proposito nostro virtutes æmulari debemus, non virtutibus adulari. Pro fratre nostro charissimo clerico, & filio vestro Petro preces aliquando vobis porreximus, quas in gratiarum conuertimus actionem, quoniam vt audiuimus, eum sic honorastis & onerastis, vt & honor non deficiat ex onere, & onus proficiat ex honore. Augeat & Deus gratiam suam, augeat & gratiam vestram, non gratiam pro gratia consecutus, & Deo seruiat in ministris suis, & vobis placeat in ministerijs vestris. Iocose dixerim quæ sequuntur, & quæ non indignationem prouocent, sed ad misericordiam vos inuitent. Patres vestri secum dum carnem gentili adhuc ritu ac superstitione detenti, Gallias inuadentes in fortitudine brachij sui, & in robore virium suarum vrbes, castella, cæterasque munitiones ceperunt, vicos, villas & agros vastarunt, homines alios in prædam & captiuitatem abduxerunt, alios in ore gladij percusserunt, loca sancta incendio & ruina ad solum vsque deiecerunt. Inter alias, quod sine suspirio & singultu referre non possumus aut debemus, Ecclesiam Apostolorum Petri & Pauli, in qua Beata virgo Genouefa requiescit in corpore, regali ope & opere constructam musiuo intus & extra, sicut reliquiæ adhuc testantur, ornatam & depictam, miserabili concremarunt incendio, nec sacro

loco parcentes, nec beatæ Virgini, alijsve sanctis, qui ibi requiescunt, venerantiam exhibentes. Tandem per Dei gratiam barbaries illa antiqua, Christiana mansuetudine mitigata est, & mutata, & septentrionale frigus calore fidei liquefactum, reiectis idolis creatorem suum recognouit, partemque Galliarum, quæ a septentrionis nomine Normannia dicitur, Nores & Dani renati in Christo sibi & posteris suis retinent, inhabitant & colunt. In illa persecutione parietes Ecclesiæ nostræ combusti & exesi, vetustate nimia & corruptione minantur ruinam, & suspirant fulciri sustentaculo, & operiuntur operiri tecto. Comparata est lignorum maceries superponenda reffectis parietibus, & laminis plumbeis supponenda. Speramus in Domino, quia qui cœpit perficiet solidabitque, & sumptus prouidebit necessarios, qui nunquam derelinquit in se sperantes seruos suos. Et quoniam in tanto opere, siue onere, stipem mendicare compellimur alienam, recurrimus ad liberalitatem vestram, vt qui aliquando Romanum consueuistis emere plumbum, in coëmendo plumbo Anglico & beneuolum aperiatis animum, & beneficam nobis extendatis manum. Illo plumbo nudantur Ecclesiæ, teguntur isto. Dissimilis negotiatio, cum in illa sæpe mereat acceptor, in ista semper mereatur largitor. Illud litigioso semper auro redimitur, istud religioso precum precio comparatur. Fratrem nostrum G. præsentium latorem misimus, qui & prudenter impleat mandatum nostrum, & fideliter nobis reportet beneficium alienum.

88.

1178—1196.

Bisk. STEPHANS i Tournai Bref till Ärke-Bisk. ABSALON i Lund för SALOMON, Ärke-Biskopens slägtinge.

K. h. 2: 527. no 168.

*Londensi Archiepiscopo, salutem temporalem pariter & æternam.*

Foelix opera & impensa, cuius intentionem fructuosus sinus excipit, desiderium complet exitus, spei fiducia nec tollitur, nec mentitur. Hæc in Salomone vestro vere verbis & operibus pacifico non inuitum vos inuitare debent, vt quod in eo beneuole cœpistis, benefice compleatis, prosequentes bonam iuuenis indolem, qui sic litterarum studijs intendit, vt a virtutum semitis non recedat. Planta est quæ per Dei gratiam & irrigationem vestram fœcundam coalescet in arborem, cuius & folium cito non defluet, & fructum suum dabit in tempore suo. Testimonium ei perhibemus commoranti nobiscum in mente, quia in scholis assiduus, honestus in hospitio, nec effusus in superfluis, nec in necessarijs est angustus. Sociorum beneuolentiam sic me-